



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 9. Carolus Miltizius a Pontifice ad Electorem Saxoniae missus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI. ret. Nihilominus clam rem agebat, ne
A.C. 1519. eorum invidiam sibi accerferet, quapropter Robertum Urfinum Reggensem Episcopum Sedis Apostolicæ Nuncium specialiter deputatum Francofordiam ablegavit, dato negotio, ut Electoralis Collegii consiliis & ipse suffragaretur, quemque potiora eligentium suffragia petere cognosceret, eidem quoque accederet, nisi forte Galli in favorem cujusdam Germani Principis de prætenso suo jure remitterent. Omnia hæc ambientium studia integrum Mensem Junium tenebant.

§. IX.

Carolus Miltiz a Pontifice ad Electorem Saxonice missus.

*Cochlæus in
 actis & scrip.
 Lutheri ann.
 1519.*

Interea temporis Papa Lutheri Hæretici sectatores numero ac potentia augeri justo dolore deplorabat; quocirca nil non agebat, ut ulteriores mali progressus sisteret, hancque in rem Saxonie Electorem ad suas partes pertrahere statuit: ut vero secundus conatibus aspiraret successus, eidem Rosam auream, quam summi Pontifices quotannis quarta jejunii verni Dominica sacrare solent, donare decrevit, huncque in finem quemdam nobilem Saxonem, quem a cubiculis habebat, Electori satis notum nomine
 Caro-

Carolus Miltiz ablegavit, præcepit-
 que, ut Friderico exponeret, quod nulla Sæcul. XVI.
A.C. 1519.
 re magis, quam hæretici hujus Monachi
 præsidio existimationem suam in discrimen adduceret, eo quod Lutherus in hæresin prolapsus patriæ suæ juribus excidisset; quapropter potius ab eo rebellionis suæ poenas posceret; cum imperii leges nequaquam Sacræ Sedis juribus adversarentur, inter quæ præcipuum esset, ut summo Pontifici libera causarum majorum, ac præprimis ipsius hæresis cognitio plene relinqueretur.

§. X.

Epistola Pontificis ad duos præcipuos Consiliarios adversus Lutherum.

Hisce monitis idem Papa binas adjunxit epistolas, quas Mense Januario Anno supra millesimum quingentesimo decimo nono datas ad duos primarios aulæ Saxonicæ Ministros direxit, nimirum ad Pfeffingerum & Georgium Spalatinum, quorum prior Electori ab arcanis erat consiliis, alteri vero publica status negotia gerendi cura incumberebat. Hos ergo ambos exorabat Pontifex, ut ad Lutherum ditione expellendum toto studio Electorem inclinarent, hancque in rem Papa eisdem Religionis Christianæ.

ac